

FRISIA.


FRISII veteribus fuerunt, qui littora Germaniæ Aquilonaria tenent; vna gens, vnis moribus, longo licet interuallo distans per Germaniæ littora. Ab Hollandia enim in Occiduum sumpto initio, Orientem versus per Gelriam, Isulam Rheni ostium, Dioceses Traiectensem, Monasteriensem, & Bremensem, ad Albim fluum usque pertingit; Deinde ex latere Holsatiæ in Iutiam, quæ & Cimbrica Chersonesus, se flectit, intercisa aliquando paludibus (quas immensos lacus vocat Tacitus) aliquando maris sinibus.


In horum finibus Amisia iuxta Emden, in Oceanum effunditur. Iadera amnis, cuius Ptolemæus meminit, qui Iada vulgo appellatur, Frisios lambit; à quo adiacens ora Budiagen dicitur. At Vidrus inter Busactores, nunc VWestphali, & Frisios fluens, & in mare inter Rhenum & Amisiam egrediens Nigra vnda dicitur. Hodie non tam latè patet eorum nomen; diuidunturque Amisia fluuio, in Occidentales & Orientales. Occidentalis, Iacobo Dauentriensi Auctore, Frisiæ nomen quasi proprium sibi antiquissimo iure vendicauit, cæterisque semper præstantior est habita: patetque ab Isalæ seu extremo Rheni ostio ad Amisiam usque fluuium: & Ostergoam, VWestergoam, Septem filuas, Groeningam inclytam Urbem, cum circumiacenti territorio complectens; pecore, pascuisque exuberans, & pagis ac ædificiis plusquam vlla alia Regio exulta; cui Transsallana cum Drenta Tuentaque iungitur. Quæ omnes sub dominio hæreditario Ducum Burgundiæ feliciter florescunt. Orientalis etsi olim (at ægrè) Hollandiæ Comites dominos agnouit, hodie tamen proprio Comite gaudet. Ait Pet. Oliuarius in suis annotationib. in Melam, vbi loquitur de Occidentali Frisia, nunquam vidisse Regionem tam angustam tot habere Parochias: Fuerunt (inquit) nonnulli, qui causam tot templorum hanc afferunt; narrant contentionem olim inter Nobiles illius tractus, de loco in illis templis ortam; nam omnes volebant habere primum locum; & cum hæc contentio indies increbresceret, decreuerunt, qui poterant, in suis pagis proprias erigere Parochias: & sic quisque primum sibi locum propria sua sede capiebat: atque hinc tot templa. Hæc ille. apud quem plura.

Vide quoque Saxoniam Alb. Crantzij. Sed qui ampliorem huius Regionis cognitionem desiderat, legat Ludowici Guicciardini descriptionem Germaniæ inferioris.



Oost ende West
 Frieslandts beschryvinghe.
 VTRIVSQUE
 FRISIORVM RE-
 GIONIS NOVISS.
 DESCRIPTIO.
 1568





DESCRIPTIO
GIONIS NOVIS
FRISIORVM RE
VTRIVSQVE

30

31

32

33

34